

guine tuo. » Et in oratione de sanctissimo Sacramento : *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti.* Item sanctus Gregorius, Hom. 2 in *Evangelia*, inquit : « Unde enim Deus humana patitur, inde homo ad divina sublevatur. » Et sanctus Leo papa, Serm. XI de *Passione Domini* : *Intulit supplicium Filio Dei*, cum similibus locationibus sanctorum Patrum, et doctorum satis frequentibus. « Nullum enim verbum (inquit Doctor seraphicus in 3. dist. 21, art. 2. q. 3.) majoris dignationis resonare potest in auribus cordis humani, quam quod unigenitus Dei Filius mortuus fuerit pro nobis debitoribus mortis. Et ideo non tantum est hoc credendum, et asserendum tanquam verum, sed etiam frequentissime recolendum. »

121. *Idque ob communicationem idiomatum; et cur?* — Resp. enim cum sancto Bonaventura cit. q. 3. sancto Thoma. part. 3. q. 16 art. 3. Scoto in 3. dist. 2. q. 1. § *Ad primum principale*, et communi doctorum, absque dubio concedendum esse, et optime dici, quod Deus pro nobis fuerit passus; Filius Dei pro nobis mortuus, ac ejusmodi: nihilominus hoc ipsi non attribuitur secundum naturam divinam, sed secundum naturam humanam, non per essentiam, aut inherentiam, sed per communicationem idiomatum. Quia enim Christus Dominus est una in duabus naturis persona, idemque utriusque naturæ suppositum: hinc propter hanc unitatem suppositi divini, provenientem ex unione hypostatica, seu incarnatione Verbi divini, assumptis in tempore naturam humanam, oritur in Christo mutua communicatio idiomatum, hoc est prædicatorum utriusque naturæ. Sive enim Christus dicatur Deus, sive homo, supponitur, atque denotatur eadem hypostasis, seu persona divinæ et humanæ naturæ Christi: ac proinde, cum denominationes sint suppositorum, verè et proprie dicitur: « Deus est homo, » id est, suppositum Verbi in Christo habens naturam divinam, est homo, et e contra, « Homo est Deus, » id est, suppositum Verbi in Christo habens naturam humanam est Deus. Qua ratione pariter verum est dicere: « Deus pro nobis passus est, » id est, suppositum Verbi, quod est Deus, pro nobis est passum non quidem secundum naturam divinam, sed humanam: talis siquidem communicatio idiomatum, sive mutua prædicatorum inter Deum et hominem, oritur in Christo ratione unitatis suppositi naturæ utriusque. Hinc sanctus Augustinus super

Psalm cxxx. « Per illud ergo, quod homo erat; mortuus est Deus, et per illud, quod Deus erat, homo excitatus est, et resurrexit, et ascendit in cælum. Quidquid passus est homo, non potest dici non passus Deus, quoniam Deus erat homo. »

122. *Et hoc amplius declaratur, simulque limitatur.* — Cæterum dictis non obstantibus sequentes propositiones sunt falsæ, ac penitus vitandæ: « Deitas est humanitas, deitas est passa, humanitas est Deus, » ac hujusmodi propositiones, quibus proprietates unius naturæ dicantur de altero in abstracto. Siquidem communicatio idiomatum in Christo provenit ratione identitatis suppositi utriusque naturæ, divinæ scilicet et humanæ, quod per terminos in concreto acceptos semper supponitur, atque denotatur; uti liquet in hac propositione: « Homo est Deus, Deus factus est homo, Deus pro nobis est passus, » etc. Hæ enim prædicationes semper fiunt circa idem suppositum Verbi in Christo existens, licet aliam et aliam naturam; se proinde propter ejus identitatem verificantur. Secus est in supra dictis propositionibus in abstracto prolatis, quarum extrema non retinent rationem aliquam identitatis inter se; cum talem ex se ipsis non habeant simulque a supposito abstracto.

123. *Et hoc amplius declaratur, simulque limitatur.* — Insuper predicata unius naturæ non possunt de altera enunciari cum signo reduplicativo cadente super illam alteram naturam. Hinc hæ propositiones sunt falsæ: « Deus qua Deus est homo: Deus secundum divinam naturam passus est: Christus quatenus homo est æternus, impassibilis, » etc. Hæ inquam propositiones sunt falsæ, cum dictio reduplicativa cadat super alteram incompetentem naturam: quæque nequam est ratio, cur Christo illa predicata conveniant. Secus accidit, si dicatur: « Deus secundum assumptam naturam humanam pro nobis passus est; Christus qua Deus est æternus, immortalis, etc. Sive ut loquitur concilium generale proxime relatum: « Unigenitus Dei Filius Jesus-Christus, qui secundum divinitatem est immortalis, et impassibilis idem ipse secundum humanitatem factus passibilis, et mortalis, » nam in istis dictione reduplicativa afficit naturam competentem, sive illam, quæ Christo est ratio, cur ipsi conveniant ejusmodi predicata.

124. Qui etiam pro salute humani, etc. —

« Qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus, et mortuus, descendit ad inferos, resurrexit a mortuis, et ascendit in cælum, sed descendit in anima, et resurrexit in carne: ascenditque pariter in utroque. » His verbis concilium generale confitetur quartum, quintum, sextum, et septimum articulum Symboli apostolici, de quo num. 57. et seqq. amplius dictum fuit. Ad majorem tamen eorundem articulorum explicationem addidit concilium posteriora verba: « Sed descendit in anima, » etc.

125. Venturus in fine sæculi, etc. — « Venturus in fine sæculi, judicaturus vivos et mortuos, et redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quam electis: qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant: ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala; illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam. » His verbis concilium confitetur, majori tamen cum expressione, sive declaratione contentorum, articulum Symboli apostolici de adventu Christi ad extremum judicium, nec non de carnis resurrectione, et vita æterna justorum, una cum expressa mentione de perpetua impiorum punitione, quam Apostoli implicite solum in ultimo articulo comprehenderunt.

§ VII.

CONTINUATUR BREVIS EXPLICATIO SYMBOLI FIDEI, IN § UNA VERO EOD. CAP. ET TIT. RELATI.

126. *Qui articuli Symboli apostolici in hoc paragrapho contineantur?* — In hoc paragrapho concilium generale confitetur, et expressius declarat tres alios articulos symboli apostolici, nempe illos: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Unde tractat imprimis de Ecclesia, deinde de sacramentis ecclesiasticis, atque incremento novæ legis sacrificio: ac tandem de triplici statu fidelium, veluti vivorum membrorum Ecclesiæ Christi. Quantam igitur attinet primum inquit concilium.

127. Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. *Et hoc amplius declaratur, una cum num. seqq.* — « Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. » Concordat sanctus Cyprianus, in tract. *de unitate Ecclesiæ*, ac refertur can. *Loquitur*, et can. *Alienus*. 24. q. 1. in quo posteriori

loco sic ait: « Alienus est, profanus est, hostis est: habere jam non potest Deum Patrem qui Ecclesiam non habet matrem. » Quintimo sancti Patres passim hoc declarant exemplo arcæ Noe, extra quam regnante diluvio nullus hominum mortem evasit; ut sanctus Hieronymus in *Epist. ad Damasum papam* (ac refertur can. *Quoniam vetusto*, 24. q. 1.) ubi Ecclesiam catholicam arcæ Noe, comparans, subjungit: « Si quis in arcæ Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. » Et sanctus Gregorius, lib. xxxv. *Moralium*, cap. vi. ac relatus in can. *Quia ex sola*, ead. 24. q. 1. loquens de Ecclesia catholica, inquit: « Sola est quæ intra se positos valida charitatis compage custodit: unde et aqua diluvii arcam quidem ad sublimiora sustulit, omnes autem, quos extra arcam invenit, extinxit. »

128. *Catechumeni possunt salvari; et quomodo ipsi sint in Ecclesia?* — Nec obstat, quod juxta sanctus Ambrosium in concione funebri *de obitu Valentini*, § *Sed audio*, aliosque sanctos Patres, et Theologos, catechumeni possint salvari, et multi salventur, qui tamen per sacramentum baptismi necdum sunt ingressi Ecclesiam; ut liquet in martyribus proprio sanguine baptizatis. Ref. p. enim, dictum illud, quod nullus omnino salvetur extra Ecclesiam, intelligendum esse de illis, qui nec re, nec voto sunt in Ecclesia: catechumeni autem licet per januam sacramenti baptismi, actu recepti, necdum sint ingressi Ecclesiam, nihilominus voto jam sunt in Ecclesia. Et hoc sufficit ad id, ut salvari possint, non minus ac baptismus in voto susceptus; mediante quo, si desit occasio recipiendi sacramentum baptismi, posse hominem salvari patet tum ex concilio Tridentino sess. 6. cap. 4. tum ex pluribus locis juris canonici, ac præsertim ex c. *Veniens. de Presbyt. non baptizat*. ibi: « Cum quis non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi. » Proinde haud immerito sanctus Augustinus tract. IV in *Joan.* dicit. catechumenos esse in Ecclesia. Intellige, non re (sic enim ibidem separat eos a fidelibus, cum actu per receptum sacramentum baptismi, necdum sint ingressi Ecclesiam) sed voto, quod sufficit, ut salvari possint.

129. *Solvitur instantia.* — Neque dictis obsistit similitudo arcæ, extra quam regnante diluvio nemo salvabatur, licet voto fuerit in ipsa. Tum quia similitudines sæpius claudicant, neque conveniunt in omnibus. Tum quia ip-

summet sacramentum baptismi comparatur arcae Noe 1 Petr. iv. vers. 20, et 21. et tamen constat ex proxime dictis, posse quem salvari cum baptismo, non in re, sed in voto duntaxat recepto.

130. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium JESUS Christus. *Declaratur, una cum num. seqq. Christus in ultima cœna seipsum comedit. Ibid.* — « In qua (Ecclesia) idem ipse sacerdos est et sacrificium Jesus Christus. » Concordat illud can. *Nec Moyses de Consec. dist. 1.* « Dominus Jesus ipse conviva et convivium, ipse comedens, et qui comeditur. » Non quod comederit semetipsum ex necessitate, et quoad effectum augmenti gratiæ: quia non indigebat, cum a primo suæ conceptionis instanti haberet gratiam consummatam, sed comedit seipsum ex dignatione. Et sic intelligitur etiam Glossa ibidem adducens versiculos illos:

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena:
Se tenet in manibus; se cibatur ipse cibus.

131. *Christus Dominus est Sacerdos.* — Porro Christus Dominus, in Ecclesia sua censetur esse sacerdos, utpote qui non tantum semel seipsum in ara crucis, morte intercedente pro salute mundi Deo Patri obtulit; sed insuper, ut ostenderet sese sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in æternum constitutum, in ultima cœna, qua nocte tradebatur, incruentum novæ legis sacrificium, quo cruentum semel a se in cruce peragendum repræsentaretur, instituit; dum ipsemet corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earum rerum symbolis, Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit.

132. *Atque principalis offerens novæ legis sacrificium.* — Et quidem principalis offerens istud novæ legis sacrificium, simulque hostiæ ejusdem principalis, est Christus Dominus, quamvis illud offerat sacerdotum ministerio: sacerdos vero celebrans offert illud ut proximus minister; prout liquet tum ex verbis concilii generalis proxime relatis, tum ex concilio Florentino in *Decreto Unionis*, atque Tridentino sess. 22. cap. 2. inter alia sic docente: « Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. »

133. *Cujus Corpus et Sanguis, etc.* — Cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter conti-

netur, transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina. » Hæc vox, *Transubstantiatis* sive *Transubstantiatio*, primum in hoc generali concilio posita, et adinventata fuit. quamvis antea jam alia nomina æquivalentia extiterint, ut puta conversionis, transmutationis, ac hujusmodi. Bellarminus lib. III. de *Sacrament. Eucharist.* cap. 23. Veruntamen juxta longævum usum Ecclesiæ remansit postea nomen *Transubstantiationis*, utpote magis convenienter ac proprie significans, et exprimens mirabilem illam conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem Christi; qualis ex divina institutione, ac vi verberum consecrationis, intervenit in confectione sanctissimi Eucharistiæ sacramenti. Unde concilium Tridentinum sess. 13. can. 2. sic definit: « Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore, et sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini: quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime *Transubstantiationem* appellat: anathema sit. »

134. *Idque convenienter, ac merito factum fuit.* — Nec quemque moveat novitas hujus vocabuli *Transubstantiatio*, utpote in concilio isto generali prius per Ecclesiam usurpato. Siquidem inutile est, ac stultum, disputare de nomine, ubi constat de re ipsa: atqui in sacramento altaris panem substantialiter converti in corpus, et vinum in sanguinem Christi, remanentibus dumtaxat accidentibus panis et vini, sancta catholica Ecclesia semper docuit et docet juxta illud æternæ veritatis oraculum: *Hoc est enim corpus meum: Hic est sanguis meus.* Matth. xxvi, 26, 28. Unde sicuti concilium Nicænum I. in Symbolo, ad refutandam hæresim Arianam posuit nomen *ὁμοούσιος*, confitendo Filium Dei esse *Consubstantialem* Patri: et sicut concilium Ephesinum I. impietati Nestorianæ opposuit nomen *θεότοκος*, ad confitendum, quod beatissima Virgo Maria vere sit *Deipara*, et Dei genitrix: ita pari ratione concilium generale Lateranense errori Berengarii, de quo fit mentio in can. *Ego Berengarius de Consec.*, dist. 2. et hæreticorum ipsum sequentium, opponere potuit, jureque meritissimo opposuit hoc nomen *Transubstantiatio*, utpote cla-

rissime significans totalem transitum, sive conversionem unius substantiæ in aliam, panis videlicet, ac vini in corpus et sanguinem Christi, solis illorum accidentibus remanentibus.

135. *Ut ad perficiendum mysterium unitatis, etc., declaratur.* — « Ut ad perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro » Et hoc parlim dicitur ex eo, quia Eucharistia est mysterium, sive sacramentum ecclesiasticæ unitatis, juxta illud Apost. I Corinth. x, 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Unde sanctus Augustinus Tract. XXVI, *super Joannem*, exclamat, dicens: « O sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum charitatis! » Et Ecclesia in Missa de ven. Sacramento, precatur his verbis: *Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, unitatis et pacis propitius dona concede, quæ sub oblatiis muneribus mystice designantur.* Partim vero id dicitur ex eo, quia in sacramento Eucharistiæ veraciter continetur illud ipsum verum corpus Christi, quod sumpsit de beatissima Maria Virgine. Unde notanter inquit textus citatus, quod ad perficiendum unitatis mysterium in hoc sanctissimo mysterio nos accipiamus de suo (id est, de carne sua) quod ipse accepit de nostro, nempe de beatissima Virgine. Abbas Panormit. in c. *Firmiter*, § *Una vero*. n. 1. h. t.

136. *Solus sacerdos potest conficere Eucharistiam.* — « Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus. Solus siquidem sacerdos rite ordinatus, est legitimus minister conficiendi Eucharistiam, et hæc sine vera ejus ordinatione confici non potest: prout liquet non solum ex perpetuo sensu et traditione Ecclesiæ, sed ex illis verbis Salvatoris, Lucæ cap. xxii, 19, ad solos Apostolos prolatis: *Hoc facite in meam commemorationem.* His siquidem verbis Christus et Apostolos instituit sacerdotes, et ipsis, eorumque in sacerdotio successoribus mandavit id facere, quod ipse fecit, videlicet offerre, et consecrare corpus et sanguinem suum, quod ipsemet tunc incruente offerre, et consecrare, Apostolisque manducandum præbere, dignatus fuit.

137. *Sacramentum vero baptismi, etc. Et variè circa hoc errores hæreticorum.* — « Sacramentum vero baptismi (quod ad Dei invo-

cationem, et individua Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti, consecratur in aqua) tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiæ a quocumque rite collatum proficit ad salutem. » Paucis hisce verbis a concilio generali condemnantur plures hæreticorum errores, tum antiquis, tum novissimis temporibus ex orco revocatis, et circa omnia quatuor causarum genera sacramentum baptismi impugnantur: idque accidit ingenti fraude diabolica, qua infensissimus generis humani hostis per malitiosam subtractionem sacramenti baptismi, tantopere ad salutem necessari, non adultis duntaxat, sed et innumeris parvulis, viam ad regnum cœlorum præcludere satagit.

138. *Errores hæreticorum circa materiam baptismi.* — Imprimis igitur verbis illis rejiciuntur varii errores circa materiam baptismi versantes: ut hæresis Manichæorum, qui teste sancto Augustino lib. de *Hæres.*, cap. XLVI, voluerunt, baptismum in aqua non esse adhibendum. Item error Seleuci et Hermiæ, qui pariter aquam a baptismo excludebant, ut refert. Sanctus Augustinus loc. cit. cap. LIX. Nec non novissimus error Lutheri, qui in *Symposiacis colloquiis*, cap. XXVII, asserere ausus fuit, quidquid balnei nomine intelligi potest, sive vinum illud sit, sive lac, aut cerevisia, illud esse aptum ad baptizandum.

139. *Qui rejiciuntur.* — Sed contra omnes istos errores stat catholica veritas, tum in concilio generali illis verbis expressa, « Sacramentum baptismi consecratur in aqua, » juncto can. *Detrahe*. 1. q. 1. et cap. penult. de *Baptismo*: tum amplius declarata in concilio Tridentino, sess. 7, can. 2, ubi anathemate perstringuntur asserentes, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi. Et merito: nam Salvator, *Joan.*, cap. III, 5, expresse contestatur, dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Concordat illud Ephes. cap. v, 26. *Ecclesiam mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et praxis primitivæ Ecclesiæ, de qua fit mentio *Actor.*, cap. VIII, 36, 38. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Et descendit uterque in aquam, Philippus, et eunuchus; et baptizavit eum.*

140. *Errores varii circa formam sacramenti baptismi referuntur.* — Deinde concilium generale loc. cit. refutat diversos errores circa formam sacramenti baptismi subortos, dum ait: « Quod ad Dei invocationem, et individua Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et